



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Articulus IV. An liceat habere plura Beneficia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

ARTICULUS IV.

An liceat habere plura beneficia.

R Esp. Plura Beneficia possidere, non est res firmè
 pliciter intrinsecè mala, nec omnino indiffe-
 rens, sed speciem mali præ se ferens; imò ordina-
 riè illicita, & naturali juri repugnans, (si talia sint,
 quorum unum ad honestam sustentationem suffi-
 ciat) nisi justâ causâ ex circumstantia cohonestetur.
 Ita ferè *Laym. l. 4. t. 2. c. 8. nu. 2. ex D. Thom. Less.*
Azor. to. 1. l. 5. c. 19. & c. commun. Quia, ut docet
Trid. Sess. 24 c. 17. de Ref., pluralitas hujusmodi
 magnam inordinationem involvit, dum minuitur
 cultus Divinus, Ecclesia operariis, fundator piâ in-
 tentione, pauperes utiliores Ecclesiæ futuri susten-
 tatione privantur. Hinc beneficia distinguuntur
 in Incompatibilia primi generis, in quibus adeptâ
 pacificâ possessione secundi, vacat prius, qualia sunt
 plura Beneficia curata; item plures dignitates, per-
 sonatus, duo Beneficia uniformia sub eodem te-
 cto: & in Incompatibilia secundi generis, quæ et si
 sine peccato citra dispensationem obtineri neque-
 rant, primum tamen altero obtento non vacat;
 qualia sunt Beneficia reliqua residentiam postu-
 lantia, v. g. Canonicatus duo diversarum Ecclesia-
 rum, in quibus recepta est constitutio *Trid. c. 12.*
 ut non liceat ultra tres menses Canonicis ab Eccle-
 sia abesse: Unde *Laym. n. 6.* docet Canonicatus in
 Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ, quæ ex imme-
 morabili consuetudine requirunt tantùm residen-
 tiam medii anni vel trium mensium, inter compa-
 patibilia Beneficia numeranda.

Dixi, nisi justâ causâ cohonestetur, quia qui per
 dispen-

dispensationem plura officia obtinuit, nisi iusta causa subfit, in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet *Less. l. 2. c. 34. n. 151.*

Porrò iusta causa dispensandi erit, evidens necessitas & utilitas Ecclesiæ, & quandoque etiam prærogativæ, & merita personæ, v. g. insignis nobilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus, &c. modò caveatur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam personæ, ad privatum tantum, & non ad commune bonum referatur. Imò sine dispensatione plura Beneficia, seqq. casibus haberi possunt.

I. Si utrumque adeo sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem: modò utrumque sit simplex, nec residentiam requirat.

II. Quando parochia est annexa Canonicali, & eique accessoria: tunc enim utrumque per modum unius possidetur, ita tamen, ut teneatur Vicarium perpetuum in Ecclesia alere.

III. Quando beneficia legitime sunt unita.

IV. Quando alius idoneus & dignus non reperitur.

V. Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in Commendam non perpetuam, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita *Reginald. ex Sylv.*

Quæres: An & quomodo Clerici teneantur ad residentiam.

Resp. I. Episcopos, Parochos, eosque, qui curam beneficium habent, jure Divino teneri. Nec sufficit, si per alios administrant, nisi majus bonum urgeat: quia contra rationem est, ut hic officium & fructus, alter onus habeat. *Bon. t. 1. d. 5. de oblig. ben. p. 1.*

Resp. II. Ita teneri ad residentiam, ut si Episcopi

"intra annum ultra tres, & Parochi ultra duos men-
 "ses, absque legitima causa per Episcopum cognita
 " & approbata, absint, mortaliter peccent, & fructus
 " non faciant suos. Ita *Trid. Sess. 23 de Ref. c. 1. v.*
 "*Bon. l. c.* Notat autem *Dia. p. 9. t. 7. R. 53. ex Bor-*
 "*don.* supradicta etiam habere locum in Superiori-
 " bus sive Prælati regularibus; ideoque eos teneri
 " tempore pestis, etiam cum periculo, suis assistere.
 " *Resp. III.* Qui in Ecclesiis Cathedralibus vel
 " Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præ-
 " bendas, vel portiones, si intra annum ultra 3. men-
 " ses absint, primo anno mediâ parte fructuum, se-
 " cundo vero anno omnibus fructibus, quos illo an-
 " no lucrati sunt, privandos: Quæ tamen pœna est
 " sententiæ ferendæ, non latæ, ut constat ex *Trid. Sess.*
 "*24. c. 12. de Ref.*

" *Resp. IV.* Causas à residentia excusantes esse,
 " 1. Doctionem Theologiæ vel Juris Canonici: ne-
 " que ad hoc licentiam Prælati aut Episcopi requiri;
 " requiri autem ad doctiones litterarum humanio-
 " rum, & Philosophiæ; nisi contrarium habeat con-
 " suetudo. 2. Studium Theologiæ, vel Juris Cano-
 " nici; id enim per 5. annos etiam excusat. 3. Obser-
 " vium Papæ, vel Episcopi, ad Ecclesiæ utilitatem.
 " 4. Licentiam legitimam ex quavis alia justa causa.
 " 5. Honestam consuetudinem, ubi dispositio Con-
 " cillii non est recepta. v. *Bon. l. c.*

" *Resp. V.* Qui absque justa causa abest, peccat
 " mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem
 " fructuum, si officio satisfecerit, nisi ad eam con-
 " demnetur, vel nisi id aliquo jure sit expressum.

" *Resp. VI.* Eos, qui ex legitima causa absint,
 " non lucrari distributiones, juxta *Trident.*, nisi ra-
 " men absint ad curanda negotia Ecclesiæ, ex com-
 " missione Capituli, vel omnino involuntariè ob-
 " morbum,

morbum, captivitatem, injustam excommunicationem, &c. v. *Less. n. 164.*

A D D E N D A.

Q. 127. *Quid addendum sit circa incompatibilitatem beneficiorum.* R. De hac dicetur à n. 896. 863

Q. 128. *Quid circa residentiam sit præterea notandum.* R. Seqq. 864

§. I. Residentia est præsentia personæ in loco beneficii ad ei deservendum. Alia est præcisa, alia causativa; tum dicitur præcisa, si sit inseparabilis à beneficio, adeoque obliget sub pœna amissionis tituli: causativa est, si sine ea possit retineri beneficium, adeoque obliget sub pœna amissionis solum fructuum.

§. II. In beneficiis curatis requiritur residentia personalis perpetua, de qua videri debent dicta l. 3. p. I. à n. 736. Et in his quidem beneficiis requiritur non tantum de jure humano, sed etiam divino & naturali, ex quo Pastores tenentur pascere gregem suum, *S. Tb. Less. Hurt. Pirh. Leur. p. 3. q. II. 9.*, sic tamen, ut omisso illius quandoque ob certas circumstantias cohonestari possit, *Az. Laym. Less. Garc. Pirh. Leur. q. 120.* Et quidem quo ad Episcopum, docent *Vasq. & alii cum Castrop. T. 13. d. 5. p. 1. n. 4.* Papam non posse dispensare, ut absit ab Ecclesia, quia absens non potest satisfacere officio, *Az. tamen Fill. & alii* absolutè dicunt Papam ex causa dispensare posse, sed probabiliùs concludit *Lugo* in *Resp. Mor. l. 5. d. 13.* Papam posse dispensare in lege Ecclesiastica imperante residentiam Episcopo, non tamen in lege divina naturali eam requirente, sed tantum posse declarare, an hic & nunc sint

sint tales causæ vel circumstantiæ, ut jus divinum naturale non censeatur obligare; & inter circumstantias sunt necessitas vel magna utilitas Ecclesiæ, aut meritum illius, cum quo dispensatur. Idem applicandum est Parocho, cum quo potest similiter procedere Papa. Vide *Leur.* p. I. à q. 367. & p. 3. q. 122.

866 § III. Sola consuetudo etiam immemorialis facere non potest, ut curatis liceat non residere, *Abb. Covar. Rebuff. Less. Garc. Pirh. Leur.* p. 3. q. 1. 1. Limitat *Barb.* de Off. Parochi p. 2. c. 18. n. 39., nisi suppleat Vicarius perpetuus; attamen tunc licentia non habetur vi consuetudinis, sed præsumitur adfuisse dispensatio vel declaratio Papæ.

867 § IV. Episcopi & Parochi tenentur residere, etiamsi tres aut quatuor tantum habeant subditos; item secundum dicta n. 727. licet habeant Coadiutores, *Barb.* c. 8. à n. 4., nisi tota cura sit translata in Vicarium perpetuum, *Garc.* p. 3. c. 2. n. 175. Similiter tenentur, qui parochiam habent in Commendam, *Garc.* n. 165. Et quamvis illis omnibus statim post possessionem moveatur lis in petitorio, adhuc tenentur, *Garc. Leur.* p. 1. q. 366. Imò *Fil. & Az.* p. 2. l. 7. c. 4. q. 1. ad similiter residendum obligant illos, quibus incumbit tantum exterior Cura animarum per visitationes, correctiones, censuras &c., sed quoad hos praxis est contraria.

868 § V. *Trid.* Ses. 23. c. 1. de Res., indulget Episcopis ex justa causa abesse per trimestre, sive continue, sive interruptè; monet tamen, ut adsint in Adventu, Natali Domini, Quadragesima, Paschate, Pentecoste, Corporis Christi. Quod si diutius abesse velint, indigent licentiâ Papæ vel Metropolitanæ vel senioris Suffraganei, uti habet *Trid.*, & videri potest *Leur.* p. 1. q. 373. Vide etiam dicta n. 477. Quam-

diu

diu & quomodo abesse possint Parochi, dictum est l. 3. p. 1. à n. 736. Præterea quomodo episcopus vel Cardinalis abesse possit ob occupationem in servitio Papæ aut Sedis Apostolicæ, item Parochus in servitio Episcopi, videri potest *Leur.* q. 386.

§. VI. Spectatâ dispositione juris communis, 869
omne beneficium etiam simplex, exceptis præfessionibus, requirit præcisam residentiam, sed generalis consuetudo eam obligationem sustulit, nisi obstat alia specialis consuetudo, statutum aut fundatio, *Garc. Lott. Leur.* p. 3. q. 114. Et licet fundatio requirat aliquod servitium personale in certo loco vel akari, v. g. Missam, aut etiam assistentiam in choro, non ideo semper censeri debet beneficium esse residentiale, quia officium potest fieri per alium, aut sine residentia, aut saltem talis residentia sæpe tantum est causativa, *Garc.* p. 7. c. 1. n. 89., & in dubio non præsumitur esse præcisa, *Gonz.* ad Reg. 8. Gl. 15. n. 19. & 22. *Luca* de benef. d. 58. n. 4., Imò licet fundatio dicat, ut per seipsum præstet servitium, tamen notat *Lott.* l. 3. q. 27. n. 14. Rotam non repugnasse, ut per alium præstaretur. Nec etiam refert, quòd fortè dicatur Canonicatus, quia multa beneficia dicuntur Canonicatus, qui tamen non sunt, *Luca* d. 59. & 63. n. 3.; beneficia tamen in Ecclesia propriè Collegiata sunt residentialia, *Luca* d. 60. Hoc non obstante dicit *Less.* in auct. v. *beneficium* cas. 18. in Belgio posse aliquem cum venia sui Capituli aliquot annis Romæ esse pro discenda praxi, simulque agere causam alicujus Principis in Curia: sed Capellanæ, de quibus in absentia nihil percipi potest, videntur requirere personalem residentiam.

§. VII. Quamvis residentia in beneficiis purè 870
simplicibus sit juris tantum humani, tamen solus
Papa & non Episcopi in tali residentia dispensare
possunt

possunt in perpetuum, sed solum ad tempus ex iustis causis. Quod si fundatio aliqua requirat residentiam personalem, & fructus ita imminuti sint, ut non respondeant isti oneri, potest Episcopus in residentia dispensare, *Garc. l. 7. c. 1. n. 126. Lott. n. 19.* Vide *Leur. supra*, item dicta n. 845.

871 §. VIII. Quoad illos, qui dignitates obtinent, est specialis obligatio residendi, in qua dispensare non possunt Capitula nec Episcopi, nisi ex causis in iure expressis, quod omnibus permittit tres menses de anno, ad recreationem etiam, & sine causa alia vel licentia, *Fill. t. 41. c. 6. n. 29.*, sed non debent beneficiati unius Capituli abesse omnes simul, ne destituatur chorus; nec ad illos tres menses componendos possunt dies confici ex horis, quibus emanatur à choro, sed integri dies accipi debent, *Corr. l. 2. c. 14. n. 49.*

872 §. IX. Per consuetudinem induci potest, ut sine residentia percipiatur corpus fructuum, non tamen distributiones: fitque etiam quandoque, ut legitime excusatus nequidem corpus percipiat, uti novitius in Religione; & è contrà ut absens ob negotium necessarium Ecclesie lucretur etiam distributiones. Vide hæc fusiùs deducta apud *Leur. q. 395. & seqq. Cap. fin. de Magistris*, permittitur beneficiatis non curatis abesse, quamdiu volunt, ac percipere fructus, si cum licentia Universitatis doceant in ea publice Theologiam, *Az. Garc. Less. l. 2. c. 34. n. 163.* Idem est de publica doctioe juris Canonici, *Nar. Az. Less. Lott. l. 2. q. 47. n. 201.* Idem dicit *Garc. p. 3. c. 2. n. 119.* de docentibus S. Scripturam in Cathedralibus & Collegiatis: item de concionantibus. Vide *Leur. q. 379 & 410.*

873 §. X. Docet *Menoch. de arb. Jud. cas. 425. à n. 26.* degentes in Universitate ob studium excusari à residen-

residentia & percipere posse fructus, sed praxis habet, ut facultas petatur ab Episcopo, & hoc videtur hodieum requiri, ut colligitur ex Cap. *Tua fraternitatis*, 12. de Cler. non resident. , docentque *Paxiord. Barb. in Trid. Ses. 5. c. 1. de Ref. n. 59. Leur. q. 408. n. 2.* , quia Episcopo committitur, ut causas & circumstantias consideret. Et quamvis *Fellin. Rebuff. Garc. Leur. q. 403.* dicant fructus non lucriferi in absentia, nisi in casibus à jure expressis, ideoque dispensatum à residentia non posse percipere fructus beneficii, nisi hoc distinctè concedatur in dispensatione, tamen Cap. *Licet*, 32 de Præb., videntur concedi toti fructus, sed praxis multis locis habet, ut dispensato assignetur ab Episcopo certa portio vel tota quantitas, quam percipere debeat, ne à Capitulis obmoveatur difficultas: Episcopi autem tenentur licentiam dare illis, qui minores sunt 30. annis & volunt studiorum causâ Universitatem adire, *Garc. Barb. supra*: Non possunt tamen dare licentiam ad septem annos sed tantum ad quinque, etiam pro simplicibus beneficiis, uti ex declaratione S. Congreg. docent *Garc. Barb. n. 60. Leur. q. 408. n. 2. contra Zech. & Zerolam*; idque tantum ad studia Theologiæ vel Canonum, uti habet *Garc. contra alios*; & possunt emanere toto quinquennio, dummodo reipsa pergant studere, etiam si ante illud elapsum suscepissent gradum Doctoratus, quia etiam Doctores discere debent, *Luca, Leur. q. 409.* Sic autem absens non lucratur quotidianas distributiones, uti habetur Cap. *Licet*, supra, nisi fortè beneficium consisteret in meris distributionibus, eum enim tum lucrari certas & ordinarias distributiones (non tamen incertas) docent *Gl. Abb. Rebuff. & alii*, quamvis *Garc. Paxi. Barb. n. 56.* ex declaratione S. Congreg. putent, quòd carere debeat tertiâ parte.

874 §. XI. Etiam facit consuetudo aliquarum Ecclesiarum, ut Canonici non residentes nec constituentes alium, qui deserviat pro se, licitè & sine dispensatione percipiant totos fructus, dummodo maneat sufficientes Ministri pro officio & cultu Divino, *Abb. Fagn. Pirh. Leur. q. 400.* Notant etiam *Covarr. Ripa & Less.* in auct. v. *Hora Canonica* cas. 17. Canonicos non posse privari corpore fructuum, si absint propter contagionem seu periculum pestis: sed quoad Parochos diximus l. 3. p. 1. n. 748. eos non posse dispensari ab Episcopis, ut absint causâ studiorum; similiter maximè tenentur residere tempore pestis & belli, secundùm ibidem dicta n. 754. An autem gaudeat præsentis, qui abest ob infirmitatem sibi ex culpa causatam, dicitur n. 1210.

875 §. XII. Canonicus ob occupationes in servicio Episcopi non residens gaudet fructibus beneficii, *Cap. De catero, Cap. Cum dilectus, Cap. Ad audientiam*, de Cler. non resid., ubi ratio redditur, *cùm absentes dici non debeant, sed presentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesia servicio commorantur.* Unde & *Gonz.* ad *Cap. de catero*, adductis plurimis concludit haberi ut residentes & percipere omnia præter quotidianas distributiones; consentit *Fagn.* ad *Cap. Ad audientiam.* Nec refert, sive sit in Ecclesia Cathedrali sive in Collegiata, quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus: hinc *Fagn.* n. 3. dicit identitatem rationis hic considerari. Non debent tamen versari in Episcopi obsequio ob suum privatam commodum, neque ob temporale aut privatam commodum Episcopi, v.g. venationis vel œconomix causâ, sed ita, ut servitium in Ecclesie cedat commodum, uti clarè colligitur ex *Cap. Ad audientiam*: hoc autem ipso, quòd serviant Episcopo, juvando ipsum in negotiis ad Episcopale
ejus

eius officium pertinentibus, uti si fungantur munere Vicarii, Sacellani, Consiliarii apud ipsum, censentur servire ipsi Ecclesie; hinc alii dicunt debere servitium cedere in utilitatem implicitam Ecclesie, quod fit, si sit in utilitatem Episcopi prout gubernantis Ecclesiam. Præterea quamvis jus non distinguat inter primam residentiam, per quam primò acquiritur plenum jus in beneficio, & secundam, videaturque esse eadem ratio de utraque, tamen cum prima residentia soleat severius exigi & exactius observari, videtur facultas non residendi pro prima residentia non esse danda, nisi servitium talis personæ fuerit necessarium. Vide *Leur. q. 406.*, qui *q. 407.* refert, quandonam deserviens Episcopo possit frui etiam distributionibus.

De pœnis Episcoporum & aliorum Curatorum non residentium videri possunt plura apud *Leur. p. I. q. 388. & 389.* De pœnis autem aliorum non Curatorum, *q. 424.*

Quamdiu resignans & quando resignatarius obligetur ad residentiam, dicitur *n. 965.*

Q. 129. Quid notandum sit circa obligationem assistendi in choro & Capitulo R. Seqq.

876

§. I. Si præbendatus absque legitima causa absit à choro ultra tempus à jure permissum, *Garc. Castrop. & alii multi apud Leur. p. I. q. 399.* dicunt peccare mortaliter, quia Ecclesia jubet gravissimas pœnas tali infligi, nempe privationis stipendii, suspensionis, excommunicationis, ergo signum est supponi gravem culpam: putant tamen probabiliter *Silv. Covarr. Suar. Vasq. Bonac.*, si de anno absit tantum per dies tres aut quatuor, esse tantum veniale: præterea *Caj. Nav. Valent. Ang. Regin. Barb. de pot. Ep. alleg. 53. n. 131.* dicunt fore tantum veniale, quamvis per longius tempus abesset: addunt

Tamb.

Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 1. n. 7. aliique apud *Gob.* in Exp. t. 5. n. 700., quamvis per totum annum abesset, dummodo resideat, & non ideo negligatur chorus, non fore mortale, quia obligatio assistendi choro est diversa, & videtur præcipue præcipi sub pœna amittendarum distributionum.

§. II. Qui à choro abest, & tamen participat distributiones, peccat, & tenetur restituere, etiam ante omnem sententiam, etiamsi Episcopus vel Capitulum, aut illi ipsi, quibus deberent accrescere, remitterent, quia talis remissio est invalida, per *Trid.* Sess. 24. c. 12. de Ref., *Castrop.* t. 7. d. 3. p. 2. n. 1. & p. 6. n. 3. & p. 9. §. 13. *Lugo* de just. d. 21. n. 51. Si tamen portiones absentium datæ fuerint præsentibus, hi possunt dare illi, qui absuit, quia tum non remittunt sed donant; attamen hoc fieri non debet ex pacto vel in fraudem legis, *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 2. d. 109. *Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 18. n. 5. Vide etiam *Leur.* q. 421., qui q. 422. declarat, ad quem aliàs spectent portiones absentium.

§. III. Si obligatus ad præsentiam in choro, compareat quidem sed non canat, peccat, nisi consuetudo prævaleat, quòd assistens possit per Vicarium canere, quia est obligatio personalis *assistendi choro ad psallendum divinum officium*, & mandat *Trid.*, ut Canonici per seiplos onera & officia annexa præstent, uti dictum est n. 813., docetque cum aliis *Castrop.* p. 3. Quòd si obligetur ad canendum per se, & non canat sed attendat vel recitet submissè, *Suar. Fill. Bonac.* & alii cum *Gob.* n. 703. dicunt posse participare distributiones, quia religiosè assistit; contradicunt *Rodriq. Castrop.* p. 4. n. 5. *Tamb.* §. 3. n. 16., tum quia non assistit prout debet, nempe chorum juvando, tum etiam quia non dicitur absolute recitare in choro aut esse pars chori, quod tamen

Trid.

Trid. Sess. 24. c. 12. & Pius V. requirunt ad hoc, ut possit participare distributiones: *Laym.* tamen & *Bejap. 1. cas. 55.* putant lucrari partem, quia assistentia etiam est ad decorem chori; imò potest face- re consuetudo, ut tantùm assistens percipiat distribu- tiones recitando Horas privatim, *Az. Med. Tol. Less. Garc. p. 3. c. 2. n. 514.*, dummodo habeat Capel- lanum & Ministrum, qui canat. Vide *Leur. q. 418.*

§. IV. Si alicui liceat per alium canere, & assi- 379
stat quidem, attamen nec oret nec attendat, sed fa- buletur, dormiat aut legat profana, putant *Suar. Garc. & alii*, quòd adhuc lucretur distributiones, quia est præsens, quod *Tamb. §. 4. n. 22.* dicit esse probabile, sed negant alii communiùs cum *Barb. & Castrop.* apud *Gob. n. 702.*, quia distributiones assignantur tantùm illis, qui assistunt assistentiâ hu- manâ cedente in honorem & cultum Dei, uti colligi- tur ex dictis.

§. V. Etiam ille censetur absens à choro, qui sub 380
cantu legit Missam, quamvis in eodem templo, nisi esset Officians sub tali hora, aut juberetur à Supe- riore, *Barb. n. 134.* Quinam autem excusentur à choro & tamen participare possint distributiones, suse deducunt *Barb. à n. 141. Castrop. p. 9. Diana p. 5. T. 2. R. 79. Leur. q. 402. & seqq.*

§. VI. Quamvis Canones privantes Clericum 381
distributionibus, si absit à choro, de rigore non ca- dant in Canonessas & earum Abbatissam, tamen spe- ctato jure naturæ, cui se conformarunt Canones, & ex præsumpta voluntate fundatorum, dicendum est illas non posse frui distributionibus, si absint, sed esse dandas præsentibus: aliud est, si aliqua absit pro utilitate Ecclesiæ, uti de Clericis dictum est, & cum communi notat *Barb. n. 171.*, tunc enim frui possunt.

§. VII.

§. VII. Quanta apud Religiosos professos sit obligatio frequentandi chorum, videri potest apud *Tamb.* §. 1. n. 7. Docent autem *Leand.* & *Tamb.* apud *Gob.* n. 698., si in aliquo Monasterio non sint saltem quatuor Religiosi, non esse obligationem chori, putantque sufficere, si saltem cum novitiis sint quatuor. Quod attinet ad Canonicos, quamvis, per se loquendo, sit obligatio, ut in choro cantant omnes Horas, tamen consuetudo multis locis obtinuit, ut nequidem Vesperas cantant nisi festis, profestis & Octavis, aut etiam rariùs Matutinum. Quòd si nequidem quatuor sint Canonici, qui possint canere, *Marchinus* excusat à cantu, attamen obligat ad dicendas altâ voce Horas in choro, sed *Tamb.* dicit, si teneantur frequentare chorum, etiam teneri canere. Vide *Gob.* suprâ.

§. VIII. Non est licitum Canonico ordinariè abesse à Capitulo, quia si id liceret uni, liceret omnibus, quibus tamen incumbit regimen suæ Ecclesiæ, *Garc.* p. 3. c. 2. à n. 529., enumerans postea causas justæ absentiæ. Vide etiam *Leur.* q. 420.

§§4

ARTICULUS V.

Quibus modis Beneficia amittantur.

Resp. I. Beneficia quatuor modis amittuntur,
 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione juris: idque vel propter alterius beneficii incompossibilis consecutionem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonii, vel per commissionem criminis, (v. g. hæresis, schismatis, sodomix sæpius exercitæ) cui amissio Beneficii ipso facto est annexa, ut v. apud *Less.* l. 2. c. 34. d. 34. 3. Per sententiam judicis. 4. Per liberam resignationem: de qua,

Resp.